CORRIGENDA.

P. 7.	L. 9.	*pro* Tartridis *lege* Tartritis
20.	13.	accrescit *lege* accrescunt
25.	2.	rediant *lege* redient
28.	1.	tristiae *lege* tristitiae
29.	14.	usus *lege* unus
30.	15.	dfiinitur *lege* definitur
35.	3.	parientium *lege* parentum
36.	5.	parientur *lege* paritur

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBIS EBRIOSORUM.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBIS EBRIOSORUM

QUAEDAM COMPLECTENS;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES M. B. PIGOT,

ANGLUS,

SOCIETATIS REGALIS MEDICÆ EDINBURGENÆ

SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops;
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor. HOR.

Die VIII. *ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

1807.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO EXIMIO

ANDREAE DUNCAN, A. M. M. D.

&c. &c. &c.

PRAECLARAE HUJUS ACADEMIAE

MEDICINAE THEORETICAE PROFESSORI

CLARISSIMO;

PROPTER, TRIGINTA RETRO ANNIS, AMICITIAM

PATRI

J. H. PIGOT, COLL. JOAN. CANTAB. B. M.

(JAMPRIDEM EHEU DEFUNCTO)

ATQUE PLURIMA FAVORIS PIGNORA

A SEIPSO NUPER ACCEPTA

HOC TENTAMEN INAUGURALE

SUMMAE OBSERVANTIAE

TESTIMONIUM

OFFERT

AUCTOR.

CHIRURGO PERITISSIMO

ET

AMICO AESTIMABILI

BENJ[I]. HUTCHINSON

COLLEGII CHIRURGORUM ATQUE SOCIETATIS

MEDICAE LONDINENSIS SOCIO,

&c. &c. &c.

APUD SOUTHWELL IN COMITATU NOTTINGHAMIENSI

FAVENTE APOLLINE

ARTEM FACIENTI;

AUCTORI QUOQUE

INGENII ACUMINE, LITERARUM SCIENTIA,

ARTISQUE MEDICINAE PERITIA,

AEQUE INSIGNI;

SUB CUJUS AUSPICIO RUDIMENTA MEDICINAE

FELICITER ADDIDICIT;

OB PLURIMA BENEFICIA IN EUM COLLATA

HANCCE, QUALISCUNQUE SIT, DISSERTATIONEM

GRATI ANIMI

PEREXIGUUM TESTIMONIUM

DAT DEDICATQUE

JOANNES M. B. PIGOT.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBIS EBRIOSORUM

QUÆDAM COMPLECTENS.

AUCTORE JOANNE M. B. PIGOT.

Ebriosorum morbi tam varii et aspectu tam multiplices sunt, ut si singulos enumerarem, universa ferè Nosologia esset in medium proferenda, et haecce dissertatio in longum abiret. De quibusdam tantùm morbis ex immodico Alcoholis potu profluentibus, exploratu certè dignissimis, in animo est dicere, omissâ omni mentione de materiis narcoticis et mineralibus quibuscum liquores fermentati saepissimè inquinantur.

Concedendum est vereor, potum liquorum spirituosorum, in Britanniâ, quotidiè augeri, formas quoque debiliores gradatim iis cedere, quae majorem concentrationem Alcoholis habent, ergò auctâ potestate generandi morbos praeditae sunt.

Homines nusquam non proclives sunt veritatem sermonûm dubitare, qui eorum voluptatibus adversantur. Inter eos qui his liquoribus dediti sunt, ii non raro inveniuntur qui eos obnixè commendant, quasi digestionem et salutem promoventes, et ita vitam porrigentes. Omnes medicos integros sedulò oportet fallaciam et damna, quae ex hâc gratâ sententiâ profluunt, patefacere. Horum quoque officium est longam morbi et angoris seriem indicare, quam ebriosus, non solum in se colligat, sed innocuis etiam liberis cum corpore vitiato communicat.*

* "It is remarkable, that all the diseases from drinking spirituous "liquors are liable to become hereditary, even to the third generation,

Temulentiae cacoethes plerumque ex consortio sodalium qui jam jam huic assueti fuerunt oritur; felicitas à quâ tenentur, invitationem offert eas voluptates gustandi, quas perpauci obstare possunt. Vitium quoque saepè ex desidiâ oritur, quae varia desideria et consuetudines supervacuas, et inter has, ebrietatem admittit. Vel postremò ex dolore aut lassitudine oritur, affectionibus quae solatium validè poscunt quod liquores generosi ferunt, atque aliquem pretextum huic desiderio indulgendi suppeditant. Consuetudo tamen bibendi semel formata, diversa habet incitamenta ex iis quibus originem duxit. Propè tempora bibendi solita ebriosi deliquio animi, et sensu molestiae circa praecordia vexari solent, quae mortales, nisi cum magno animi vi praediti, perferre nequeant.

"gradually increasing, if the cause be continued, till the family becomes extinct."

Darwin. Botanic Garden, Part 2. Canto 3. l. 357.

—— Zoonomia, Vol. II. p. 355.

Haec pro tempore ab ejusdem intemperantiae repetitione fugantur; nam ut in aliis etiam angoribus, qui iis molestiis anteà tentati sunt, penè ultrà resistendi potestatem, ad praecavendas vel tollendas, impelluntur. Plus tamen damni sequitur. Corpus, brevi, eâdem Alcoholis copiâ excitari nequit, undè fit, ut ad eundem gradum hilaritatis vel tranquillitatis adipiscendum, potionis mensura augenda sit; tumque omnia mala ebrietati propria, rapidè ingravescunt, et ineptum hominem usque juvenem ad umbras praecipitant.

De ebrietatis paroxysmo, quià longo cohorti morborum et misericordiarum ortum dat, imprimis pauca dicere non alienum videtur; et in illo quidem in diversis hominibus phaenomena multùm discrepant. In eorundem hominum diversis paroxysmis, * etiam discrepant, pro ratione admistionis Alcoholis cum aquâ aliisque

* Trotter on Drunkenness, p. 14.

materiis. Omnia autem in eâdem extinctione voluntatis apoplecticâ desinunt. Sanguinis circuitus celerior fit; corporis calor, et pulsûs vis et frequentia augentur;* oculi in initio resplendent, posteà, auctâ distentione arteriarum, in vasa adnatae oculi sanguis coccineus propellitur; facies tumida erubescit; vox balbutit, aut prorsùs faucibus haeret; visus depravatur; functiones cerebri deperduntur et sensûs expers corpus procumbit.

In annis 1797-8-9, juxtà Rheni ripas, in Bavaria, ubi ob inopiam pabuli, plurimos equos truncare necesse erat, Dom. Pilger, in variis experimentis ab eo factis, comperit, cùm animali tantum Alcoholis adhibuisset quantum ad ebrietatem, languorem, vel soporem, inducendam necesse erat, et in hoc statu cùm animal

* Crichton on Mental Derangement, Vol. I. p. 152.

necavisset, cerebrum sanguine supermodum impletum esse. * Et hoc nusquam quidèm non erat.

Verisimile ergò mihi videtur, omnes vis nervosae obstructiones in paroxysmo ebrietatis accidentes, ex compressione cerebri et nervorum per auctum sanguinis impetum oriri; ita ut apoplexiae fugacis exemplum dicere possimus. † Cerebrum non rarò tantum injuriae vel effusione vel compressione subit, ut mors instantèr sequatur; frequentiùs tamen donec post paucas horas mors non venit, ubi Alcohol minores vires exercere creditus sit. ‡ Rationes quae sequi oportet in ebrietatis paroxysmo sequentes sunt, nempè

1*mo*, Causam excitantem tollere, vel quantum possumus, actionem ejus impedire.

* Versuche durch den Galvanismus die Wirkung verschiedener gifte und arzneimittel zu pruifen.—Giessen. 1801.

† Prof. Home. Praelectio Clinica. Apr. 1mo 1806.

‡ Ibidem.

2do, CALOREM corporis auctum minuere.

3tio, ACTIONEM immodicam cordis et arteriarum moderari.

4to, SANGUINIS ad caput determinationem praecavere vel avertere. Et postremò cùm stadium debilitatis consequens supervenerit, ad actionem salutarem sustinendam conari. Ratio prima exhibitione emeticorum, ut Sulphatis Zinci, vel Tartridis Antimonii, optimè peragetur, aut effectus Alcoholis narcotici Acido Citrico, vel Acido Nitrico diluto, evertantur *. Rationem secundam, et tertiam, methodis duobus perficere possumus ; nempè calorem supervacuum perspiratione deducendo, vel corpus temperiei redactae objiciendo, fluido circumdatum majore praedito potestate calorem deducendi, aqua scilicet, quam aër atmosphericus. Sanguinis emissio generalis semper vitanda est, nisi signa qualia ruptura vasorum, cum effusione in pulmones, instantem mortem minitantur. In

* Ray. Hist. Plant. p. 680.

quartâ cavendum est, ut omnia à collo auferantur quae liberum sanguinis regressum ex capite in venas jugulares impediunt. Positio sit corporis erecta, et si signa urgentissima sint, sanguinis emissio ex temporibus, ope cucurbitulae cruentae.

In stadio torporis vel actionis imminutae consequente, ubi ebrius forsàn per spatium nimis longum rori vel frigori objectus est; in Indiâ Occidentali, ubi hoc frequentèr obvenit, haec ratio felicissimè adhibetur. Tantum Alcoholis ingerunt, quantum ad actionem naturalem excitandam et vitam sustinendam requiritur, atque posteà Alcoholis quantitatem sensìm minuunt. * In communibus ebrietatis casibus ebrius cum primo sensûs reditu, somno apoplectico, sensu caloris intolerabilis, exsuscitatur. Certum quidem est, in diversis hominibus, vim caloris va-

* Prof. Home. Praelect. clin. Apr. 1mo 1806.

riare. Cl. Dr Currie ad gradum 105$^{m.}$ Fah$^{i.}$ assurrexisse observavit; summam prope altitudinem caloris in Typho hujus insulae. Dr Alexander etiam in proprio casu, ad gradum 107$^{m.}$ augeri comperit. Sub hujusmodi calorem, sitis agitatio, et debilitas consequentia vehementissima sunt, cutisque ferè semper pertinacitèr constricta est. Methodus idonea curandi in hoc, et forsàn in aliis omnibus casibus ubi calor praeternaturalis, cutisque sicca, premunt, est aquam frigidam largitèr in ventriculum ingerere, et in totum corpus quoque fundere *. Hoc modo calor diminuitur, cutis foramina aperiuntur, et ebrietatis damni plurimùm aufertur. Effec-

* "That water is the best remedy for the mischiefs that come by "hard drinking, experience teacheth; there being nothing that so effectually frees from these nauseating and reaching qualms the next "morning; which sickness will soon be recovered by the drinking "cold water; this being also the best remedy, if taken largely, for "that heat of urine often occasioned by hard drinking."—The Curiosities of common Water, p. 18. by J. Smith. C. M. Lond. 1724.

tus similes minore autèm gradu, ex usu potuum, et affusionum tepidarum proveniunt*. Metuendum est in ebrietatis paroxysmo, praecipuè ubi forma apoplectica adest, ne apoplexia lethalis aut paralysis insanabilis generetur. Iteratio tamen crebra est hujus vitii, vel equidem Alcoholis sine ebrietate assumptio, quae longa illa cohors morborum, de quo nunc agimus, inducit.

In illis infortunatis sexûs amabilis, quae potui nimis deditae sunt, variae affectiones hystericae ebriosas promptè invadunt; et hae accessiones non raró ad infelicem potui proclivitatem suspicandam medicum ducunt.

* "Ingeniosissimus seculi nostri medicus, quem nuper vidimus, "Cassius, febricitanti cuidam et magnâ siti affecto, cùm post ebrietatem eum premi coepisse cognosceret, aquam frigidam ingessit. Quâ "ille epotâ, eum vini vim miscendo fregisset, *protinus somno et sudore* "*discussit.*"—Celsus de Medicinâ. Praefat. p. 18. Edit. Amst. 1713. Dr Currie. Medical Reports, Vol. I. p. 292. Edit. 1804.

In prioribus quoque graviditatis mensibus, ebrietas frequentissimè abortum parit*.

Durante paroxysmo, corpus mirabilem habet potestatem tum contagioni tum frigori obstandi: in stadio tamen debilitatis consequente multo procliviùs redditur. In hoc statu febres regionum tropicarum naûticos et milites nostros corripiunt‡, typhique hujus insulae contagio frequentissimè recipitur.

Prima ex usu Alcoholis indicia secretionem fellis auctam demonstrant: ex duodeno in ventriculum regurgitat, ibique languorem et corporis et animi inertiam facit. Lingua sordida est, nausea, cephalalgia, anorexia, et dyspepsia superveniunt. Fel frequentissimè resorbetur, et flavum aspectum cuti praebet; urina obscurè rubra est, et immissa luteo colore tingit. Pulsus frequen-

* Trotter on Drunkenness, p, 105.

‡ Trotter. Med. Naut. Vol. I. p. 401.

tius micat, sitis, calor auctus, aliaque febris signa adsunt. Totum corpus macrescit et aspectum insalubrem aeger acquirit. Ad intestina bilis nonnunquam progreditur et diarrhoeam dolorificam inducit; hoc modo intestina debilitantur, et actio peristaltica depravatur.* Ubi fel supra modum adest, nonnulli ex nauseâ ad emetica decurrunt. Nusquam tamen adhiberi debent; ab eorum enim operatione fel, quod alitèr per intestina deveheretur, ex duodeno in ventriculum fertur, et actione quidem vomendi secretio ejus celerior fit.‡ Ad suam evacuationem excitandam fel plerumque purgativum est satis stimulans, et ad ejus expulsionem promovendam, aliquantulum solummodò aquae tepidae exigit. Aliquandò tamen, dum alvus adstricta manet, bilis cruciat||; tuncque salium neutralium quantitates parvae, vel aquae ex fontibus purgativis,

* Sannders on the liver. p. 132.

‡ Ibid. p. 142.

|| Ibid. p. 142.

praecipuè Cheltenhami, idoneae sunt.* De aquarum utilitate ad fel diluendum, auctâ temperie solummodò fruentium, satis testimonii ab iis habemus, qui ad Bathoniam, Bristoliam, vel Bucostenum quotidiè concurrunt; nam à Medicis omnibus, fide dignis, hae aquae effectus suos à calore tantum derivare judicantur.‡ In morbis ebriosorum supra memoratis claris. Heberden aquam Bathoniae certum esse remedium existimavit.§ Quanquam hae aquae inclytae nil potestatis, supra quam aliae cum eâdem caloris quantitate, habent: nequaquam tamen ob hanc rationem contemni debent, quoniam à diversitate societatis et oblectationûm, taedium illud vitae, cum sobrietate veniens praecavetur, veteres actionûm catenationes franguntur novaéque formantur; atque medici mandata intemperan-

* Vide Dr. Fothergil on Cheltenham Waters, p. 64.

‡ Saunders on the Liver, p. 141.

Powel on the Bile, p. 155.

§ Heberden. Comment. Cap. 13 De Aq. Bathonica.

———————— 32 De Ebrietate.

tiam prohibentia majore verisimilitudine secuta erunt. Exercitatio semper antecedere cibum, et ad levem sudorem aut lassitudinem, non fatigationem, protrahi, debet. Motus appetitum excitat, fibras roborat, circulationem promovet, et omnes humorum secretiones auget, animo vires addit, et toti systemati nervoso gratam sensationem conciliat. *

Morbus, Hepatitis chronica ‡ ab auctoribus nominatus, saepissimè ex usu Alcoholis ortum ducit; de modo tamen quo efficitur, medicorum sententiae discrepant. Nonnulli hoc malum ob ventriculi propinquitatem ad jecur

* Home. Princip. Medicinae, p. 8.

‡ " Haec saepè nulla quibus dignoscatur signa praebet; aliquando " tamen eandem adesse suspicari potest, ex hepatitidis causis quibusdam " praegressis, ex sensu quodam plenitudinis et gravitatis in hypochon- " drio dextro, ex doloribus plus minusve pungentibus in eadem parte " subinda perceptis, ex dolore quodam a presso hypochondrio dextro, " vel a decubitu in latus sinistrum sentito, et denique ex pyrexia leviori " cum dictis signis subinde infestante."

Cullen. Nosolog. O. ii. G. xii. Edit. Edinb. 1803.

oriri, alii contrà, Alcoholem in venas intestinorum intrare existimant, et ita à venâ portae ad hepar deferri, ibique effectus exercere. Si in hanc arenam descenderem nec unam nec alteram sententiam complecterer, quanquam ambo *fortasse* ad morbum inducendum adjuvare possint. Alia tamen explicatio verisimilior mihi videtur.

Alcohol à vasis absorbentibus, per ductum thoracicum in sanguinis circuitum ingessus, ab arteriâ hepaticâ ad jecur vehitur, ibique stimulum insolitum praebet. Hoc modo secretionem bilis auctam, inflammationem, scirrhum, et alios ebriosorum morbos induci conjicerem. Quocunque modo morbus obvenit frequentissimè occurrit, in progressu plerumque tardus est, sed gradu in diversis hominibus variatur. Quanquam nulla hujus morbi signa, vitâ perstante, observabantur, cadavere inciso, pus non raró deprehensum est. Hunc morbum suspicari debemus ubi aliquis, causis excitantibus anteà objec-

tus, sensu ponderis in abdominis parte superiore, cum dolore obtuso infrà lateris dextri costas, et eructationibus acidis, afficitur; vel in latus sinistrum decumbens molestiam sentit; aut ubicunque post somnum in latus dextrum recumbentem sese reperit.* Latus et manus dextra nonnunquam torpent.‡ Quando autem dolor ad summum humeri tendens adest, de naturâ morbi non dubitare possumus. Statim omnis et victûs et potûs intemperantia || prohiberi, remediaque propria quàm citissimè adhiberi, debent. Haec iis simillima erunt, quae contra stadium acutum prosunt; venaesectio tamen rariùs postulabitur et hydrargyrus liberiùs detur. Terminationes eaedem ac in stadio acuto quoque erunt; de quo tractare nunc nos accingimus.

* Beddoes. Hygeia. Ess. viii. p. 117.

‡ Vide Celsus, lib. 4. cap. 8.

—— Whyte on Nervous Disorders, p. 449.

|| Dietam tenuem plurimùm valere ad morbi medelam jamdudum, abundè probavit Tippo Saib, in Indiâ orientali; nulli etenim hujus captivorum Hepatitide correpti fuerant, iique ferè omnes morbo laborantes victu parco citò sanati fuerant.

Inflammatio Hepatis acuta, quanquam in his regionibus non tam crebra quam in regionibus tropicis accidit; tamen inter nos haud infrequens est, nec tam rara quàm plurimi medici credunt. Definitio à Cl. Cullen edita, mihi accuratissima videtur, et ad morbum dignoscendum abundè sufficit. ‡ Icterus semper non adest; ubicunque tamen facies Hepatis concava ita intumescit ut Ductus Hepaticus vel Communis compressi sint; vel ubi eorum diametri, à parietûm inflammatione diminuti sunt,* fel impeditum à vasis lymphaticis absorbetur, et cutis flavedo producitur. Ubi facies Hepatis convexa inflammatur nonnunquam pro Pleuritide habetur: à dolore tamen ad claviculam tendente facilè dignoscitur. Quia etiam in He-

‡ "Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, saepè pungens "pleuritici instar, saepiùs obtusus; dolor ad claviculam et summum "humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnoea; tussis "sicca; vomitus; singultus."—Nosologia. Ord. ii. Gen. xvii.

* Darwin. Zoonomia. Vol. II. p. 138.

Baillie. Morbid anatomy. C. x. p. 239.

patitide, tussis plerumque sicca aliaque signa sequi, et non praeivisse, ut in Pleuritide observatur:* alia quoque et maximè aegri historia ad morbum dignoscendum certissimè ducent. Nec metuendum est si inter hos medicus erret, quia in ambobus medendi ratio penè eadem est.

Venaesectio, ubi sanguis pleno flumine emittitur,‡ remedium praestantissimum est ad morbum resolvendum. Cathartica quoque magis quam in thoracis inflammationibus exigentur. A ductione alvi, stimulus ad intestina praebetur, qui ex eorum arteriis magnam fluidi copiam deducit, quam alioquin ad hepar inflammatum

* Dr Pemberton. Obs. on the Abdominal Viscera. p. 20.

‡ "At vero animadvertendum est, quod si sanguis è sectâ venâ non "recto flumine versus horizontem prosiliat, sed per cutem repens per- "pendicularitèr dimanet, ut celeri se prosipiat gradu, saepè tamen ad "dictum colorem (subalbidum nempè) non accedit, hujus me causam "nescire fateor: neque aeger ab hujusmodi sanguinis emissione perin- "dè levatur, ac si modo primum descriptio fluat." Sydenhamus. Sect. 6ta. Cap. 3um.

distendendum delatam fuerit.* In hoc morbo ergo purgatio maximam utilitatem à priore habere videtur, et sic equidem experientia fortitèr docet. Epispastica quoque multum prosunt. Hydrargyrus et Acidum Nitricum ‡ nuper maximè commendata sunt. § Inflammatio frequentissimè tam longè progressa fuit antequam remedia idonea adhibentur, ut omnes nostri conatus ad resolvendum frustra sunt.

* Prof. Duncan. De Purgantiûm Naturâ et Usu, p. 6. Thesis Edinb. MDCCLXIX.

‡ Powell on Bile, &c. p. 99.

§ Cl. Darwin dicit "When the arterial energy becomes weakened, "four or eight grains of filings of iron, or salt of steel (sulphas ferri) "with Peruvian bark, have a wonderful effect in curing the cough and "restoring the liver to its natural size and sanity; which it seems to "effect by increasing the absorption of this viscus."

——— Zoonomia, Vol. II. p. 723.

Sententiam sequentem de Hydrargyri usu in acuto hujusce morbi stadio tradit Cl. Dr Dick, apud Calcuttam. "In recent attacks of "liver complaints, after early bleeding, blistering, and the free use "of laxatives, I never saw a case where suppuration came on, if mercu-"ry was used freely, and continued till the mouth was sore."

Vide Saunders on the Liver, p. 195.

SUPPURATIONEM incepîsse à horroribus, doloris acuti remissione, ponderis sensu aut fluctuationis, in aliquâ Hepatis parte, et fortassè costarum distentione lateris dextri, vel tumore infra eorum margines, monemur. Ubi manifesta suppuratio est, aegri sanatio potiùs optanda quam expectanda est. Casus tamen non prorsùs lethalis est, nonnunquam enim abscessus se externè ostendit. Quum primùm puris fluctuatio percipitur à foramine perexiguo aperiri et secundum rationes CHIRURGIAE tractari debet. Abscessûs parietes partibus vicinis ferè semper accrescit, itaque rarissimè in abdominis cavitatem prorumpit: pus in intestina, ventriculum,* vel thoracem, immissum, per pulmones quoque viâ factâ, ab ore exsputum est, vel praefocatio confestim perducta est.‡ Plurima sanationis

* Clark on the Diseases of the East Indies.

‡ Pemb. Obs. p. 35, 36. Clarissimus Prof. Duncan de Hepatitide dicens, (Praelec. Clin. Ap. 14mo 1807) casum filii sui, in Indiâ orientali praefecti, narravit; cui post Hepatitidis impetum suppuratio accedit,

exempla post Hepatis suppurationem habemus. Saepiùs tamen evenit aegrum suppuratione febreque hecticâ extabescentem, vitam amittere.

Quanquam Ebriosorum Phlegmasiae ad gangraenam maximè proclives sunt,‡ hujus morbi nihilosecius terminatio perrara est; nonnulla tamen exempla inter auctores inveniuntur; ‖ de his penè supervacuum est annotare, Medicinam mortem avertere nil potestatis habere.

Hepatitidis terminatio longè frequentissima est Scirrhus, et in eâ jecoris parte ventriculo proximâ plerumque incipit,§ in initio, magnitu-

atque ex Hepate pus per pulmones transiit, et ab ore profluxit; mirabile tamen dictu posteà omninò sanatus fuit, et ad hunc usque diem secunda valetudine fruitur.

‡ Prof. Gregory, Praelect. pract. Janii 11mo 1086.

‖ Lieuteaud. Hist. Anat. Med. Tom. I. lib. 1. obs. 598.
Mongagni Epist. xxxiv. Art. 15.

§ Powel on the Bile, &c. p. 99.

dinis augmentationem, posteà non raró diminutionem habet, § demùm fortè vasa capillaria, et poros biliarios, quae secretionem praecipuè faciunt, delens. Hinc bilis quantitas solita non secernitur, et intestinorum torpor, flatulentia, concoctio impedita, et aciditas sequuntur. Aeger macrescit viresque amittit, aspectum subalbidum aut luridum acquirit, dolorem quoque hypochondrii dextri ad scapulas tendentem, pulsum citatum, calorem auctum, cum frigoris sensu alternantem, spirandi difficultatem, et molestiam ubi in latus sinistrum recumbit. Ventriculi functiones laeduntur, omniaque Dyspepsiae signa, posteà annotanda, superveniunt.

§ Saunders on the Liver, Chap. II. Sect. 2.

Cl. Prof. Gregory, in praelectionibus suis inclytissimis, sectionem cadaveris se vidîsse narravit ubi Jecoris moles ad pondus librarum octodecem aucta fuit; è contrario hujus visceris imminutionis ad uncias viginti quinque exemplum protulit.

Hepatis sani pondus circiter uncias quadraginta quinque aequat.

Liber sanguinis reditus in venam portae, ex visceribus abdominalibus à Hepate indurato impeditur. Huic causae evacuationes sanguinis tam crebras è ventriculo vel haemorrhoidalibus venis immissas tribuere licet. Sanguis vi auctâ in arterias exhalentes premit, undè majore copiâ serum effunditur quàm vasa lymphatica absorbent, et hinc collectio praeternaturalis tardatur. § Extremitates inferiores nonnunquam intumescunt, quod è compressione fortasse lymphaticorum, vel sanguinis obstructione per venam cavam inferiorem fluentis exoritur; quâ pars sanguinis tenuior aut serosa, ut anteà explicatum est, auctâ quantitate effunditur.* Quo magis aeger debilitatur eo minùs arteriarum exhalentium erit renixus, et hydropica signa citiora inducentur. ||

§ Prof. Monro (2dus) Praelectio Ap. 8vo 1806.

—— Gregory, Praelect. Ap. 29mo 1806.

Cullen's Practice B. 2. Ch. 3. Art. 1639, &c.

Saunders on the Liver, p. 235.

* Monro. Praelect. Ap. 8vo 1806.

|| Cullen's Practice, B. 2. C 2. A. 1646.

Hydrothorax, aut seri collectio in pleurae saccis, saepissimè quoque ortum ex Hepate mole adauctâ, ducit, et non raró ex hâc causâ inducitur ubi Ascites non adest *. Hunc morbum fieri conjicio, quia septi transversi descensui jecur obstat. Aër atmosphericus itaque in cellulas pulmonum ad eas ritè distendendas intrare non potest. Hinc et solitae sanguinis mutationes, et transitus ejus in venas pulmonales, impediuntur, undè fit ut nusquam non sit, ubi per venas iter obstatur, effusionem ex arteriis augeri. Affectiones hydropici Ebriosis frequentissimè mortem ferunt, et ii qui Hepate infirmo laborant his malis plerumque succumbunt.

Quanquam à Diureticis, Catharticis, Diaphoreticis, aut medicamentis aliis, à quibus arteriarum exhalatio diminuitur aut vasorum lymphaticorum absorptio augetur, serum effusum auferre possumus ; tamen nisi morbus hepatis

* Prof. Home. Prael. clin. Martii 25to 1806.

primarius quoque sanatus fuerit, labor parùm proficitur, nam citò ut anteà omnia rediant signa. Ad illud igitur perficiendum Hydrargyrus, quocunque modo adhibetur, remedium est optimum. Si ventriculo committere placuerit in formâ Sub-muriatis Hydrargyri; conjungere licet pulvere radicis Scillae Maritimae, vel foliorum Digitalis purpureae. Cum his alia quoque diuretica, qualia Super-tartris Potassae, baccarum Juniperi communis infusio aliaque, egregiam saepè afferunt opem. Succus inspissatus Leontodontis Taraxici à Medicis vetustioribus *, in his viscerum malis, nuperque à Dre

" * In hepatis morbis, praestantissima est radix haec recens, sero " lactis, jusculis et apozematibus incocta. Praeclara identidem inde " vidi ubi alia fefellerunt. Saepè mihi successit resolvere duritiem he- " patis cum jusculo parato è radice rec. Taraxici et fol. rec. acetosae, " in sero lactis coctis, vel in aqua, addito vitello ovi, quod jusculum " quotidie per plures septimanas, immò menses, sumpserunt aegroti

Pemberton multùm laudatus est †. In usu liquorum spirituosorum intemperantia sedulò cavenda est: nam alioquin omnes nostri conatus ad sanitatem restituendam prorsùs inutiles erunt.

QUANQUAM Ebriosus à gravioribus Hepatis malis jam jam memoratis immunis esset, tamen DYSPEPSIAE signa quibus in cursu mortifero citò tentabatur nunquam cessant. Assiduo Alcoholis usu adeò infirmatur ventriculus ut propriis suis officiis fungi non possit. A Scirrho

" propinato simul cremore tartari. Hoc regimen exoptata praestitit
" etiam in calculo felleo et in Ascitide."

Berg. Mat. Med. tom. 2. p. 649.

Van Sweiten, Comment. tom. 3. p. 102.

Rossenstein. Mur. Appar. Medicam. tom. 1. p. 107.

Edit. Gottingae, 1776.

† Pemb. Obs. p. 42.

" This plant should be always used fresh: even extracts from it appear to lose much of their power by keeping."

Dr Woodville. Med. Botany, Vol. I. p. 9.

non rarò afficitur, praecipuè Pylorus, cum angoribus saevissimis, maximè post victum, torquetur. Succi gastrici secretio vel quantitate diminutâ vel qualitate vitiatâ paratur. Hinc non rectè solvitur alimentum, nec chymus naturalis elaboratur nec chylus absorbetur; viribus vasorum equidem amissis; aeger macrescit et tum corporis tum animi debilitas sequitur. Tremores, Vertigines et Hypochondriasis prima sunt indicia incipientem mentis imbecillitatem annunciantia. Nervorum distentiones* et Epilepsia

* "Si pars aliqua, aut universum corpus, modo, contrahitur modo "laxatur, motibusque alternis, atque insolitis praeter voluntatis as-"sensum, naturaeque ordinem concutitur; *motu clonico* sive *convulsior*, "aut ut veribus Latinissimi C. Celsi utar, nervorum distentione, la-"borare dicitur. Si vero tendatur, et rigeat, nulla intercedente re-"laxatione idque constanti, et vehementi musculorum flectentium, aut "extentium, aut aliorum quorumque actione fiat, *motum tonicum* et "*σπασμὸν*, ut Graeci vocant, vel ut Latini *conductionem* et *nervorum ri-*"*gorem* esse tradunt Pathologi."

Burserius. Inst. Med. Prac. Vol. III. p. 201.

Edit. Lipsiae, 1787.

haud rarò veram fatuitatem pariunt. Leves tristiae hypochondriacae ad MELANCHOLIAM aut INSANIAM furiosam augentur †. Hae tamen calamitates plerumque pertinaces sine ope medicinae prorsùs evanescere cognitae sunt ‡, usu Alcoholis tantummodò subducto. Cathartica valida ad actiones intestinorum ciendas ferè semper exiguntur. Ad morbum verò sanandum medicamenta nusquam non dubium esse fateri cogimur.

DIETAM modicam et nutrientem instituere cum exercitatione diurnâ, praecipuè equitatione, §

† Prof. Gregory. Praelect. pract. Janii 16mo 1806.

——————————— Ap. 3tio 1806.

Burserius de Med. Pract. Vol. III. p. 182.

‡ Ibidem.

§ "Inter exercitationes enumerantur vectura in rheda, ambulatio, et equitatio; vectura imbecillibus quam sanis utilior est, saepe inutilis in clauso vehiculo. Ambulatio, ubi per ascensum et descensum cum quâdam varietate movetur corpus, nisi perquam imbecille, commodior est, sed vires quam maximè exhaurit et exhaustae non citò reficiuntur. Aliter accidit in equitatione, quae in caput et pul-

per paucas horas; omnigenam irritationem tollere; vitamque à consuetudine aegri priore ex toto absimilem degere; rationes mihi videntur quae maximum auxilii promittunt. Qui Maniâ semel affecti fuerunt, vix aut ne vix quidem, priorem intellectûs vigorem recuperant; eaque omnia quae improvisò accidunt frequentissimè in priorem insaniam praecipitant, presertim ubi ad pravam bibendi consuetudinem reversi sint. Ut res tamen infelicitèr se habet, ii qui maniâ anteà vexati fuerunt, aut qui labem haereditariam acceperunt, prae ceteris ad potum deduntur. His temulentiam fortitèr vetare oportet, nam usus solummodo paroxysmus, tantum efficiat mali, quantum nec Medicinae vires, nec vita posteà temperatissima delere possunt.

" mones, sed praecipuè in viscera abdominalia, succussionibus repeti-
" tis agit."

Home. Princip. Med. p. 9.

De Podagra * nunc pauca dicere venimus, propterea quod ex usu Alcoholis potissimùm ortum ducit. Omnes nostri conatus ad morbum tollendum dum causa manet, prorsùs inutiles erunt. Si Podagrici ergò secundum Medicorum praecepta non sese conformant, iis tantùm est culpa si malum haereat. Hallucinationes de hâc re pertinacissimae, in pravis theoriis fortè veterum Medicorum editae, ubi Medicina non tam plenè intelligibatur; adhuc etiam penè omnes dirigunt. Podagram materias quasdam noxias, quae intra corpus generantur depellere existimant; itaque quàm maximè salutem promovere, et qui tam miseri sunt hoc saevissimo

* A Claris. Cullen sic dfiinitur.

"Morbus haereditarius, oriens sine causa externa evidente, sed prae-
" eunte plerumque ventriculi affectione insolita; pyrexia; dolor ad ar-
" ticulum, et plerumque pedis pollici, certe pedum et manuum junc-
" turis potissimum infestus; per intervalla revertens, et saepe cum
" ventriculi, vel aliarum partium affectionibus alternans."

Cullen. Synop. Nosolog.

Cl. 1. Or. 2. Gen. 25.

malo vexari gratulationes amicorum accipere solent. Nil mirum est igitur quoniam aegri hujusmodi opinionibus falluntur, si sedulò morbum foveant quod adeò salutiferum esse fingunt. In eam intemperantiam quâ Podagra primò inducta erat, altiùs immergunt, potant duplum, dapesque duplices devorant, atque summâ cum dementiâ hanc unicam esse viam curandi pertinacitèr contendunt. Cum lanâ calefaciente membrum inflammatum, jamdudùm nimìs infervescens, circumdant; et omnia adhibent, quasi oleum addere camino, et totis viribus ad angorem augendum obnixè nitantur. Si dimidio retrò seculo aliquis methodum tractandi ardentem in Variolis damnare ausus esset, nil dubitandum quin Maniacus à plurimis existimatus esset. Tamen in Arthritide, non minus quam in illâ, experientia contra calorem validè conclamat. In tanto honore equidem inter nos hic morbus est, ut ii cum eo laborantes nequaquam pudore affecti pro hoc testimonio ingluviei temulentiaeque; summam esse gloriam existimant et auc-

tam observantiam ac dignitatem ob eum inveniunt. Quaedam regiones sunt ubi Psora sordida morbus frequentissimus est, ibi quoque salutaris aestimatur * ; et in aliis quo largius Bronchocele (Goître) crescit, eo venustius habetur †. Ventriculus in plerisque morbis citò mali particeps est, et in Podagrâ functiones ejus magnoperè laeduntur ; sed DYSPEPSIA fortassè potiùs pro causâ quam effectu habenda est. Hujus visceris irritabilitas ità ut victum rejiciat, Arthritis aut Inflammatio, haud propriè, nominatur, et signum est quod plurimum damni fert. Chylus ad sanguinem reficiendum nusquam paratur; vitae vires languescunt, aegerque strigosus solummodò ob inanitatem emoritur. Apud Articularios mortes subitae ex Apoplexiâ frequen-

* Heberden. Comment. Cap. de Arthritide.

† " Un Anglois voyagant dans ces contrées attira tous les régards " par sa figure ; mais on trouvoit qu'il lui manquoit un grand agré- " ment : *le bel homme, disoit on, s'il avoit un Goître.*"

Girard des Loupes. p. 409.

tissimè accidunt et eâ vel Inanitione vel Hydrothorace ferè semper pereunt †.

Eos potissimùm oportet, quorum majores Arthritidem passi sunt, à liquoribus fermentatis cavere. Ex observationibus satis constat, qui labem haereditariam praevalidam habuerunt, intemperantiam fugiendo, per vitam longam ex toto morbum evitârunt. Exemplum praeclarum in Dre Gregory, Medicinae practicae Professore celeberrimo, vidimus; cujus pater eximius citò Apoplexiâ abreptus, à Podagrâ miserrimè vexatus fuerat. Filius quoque à paterno morbo, aetate maturâ, petebatur; ille tamen, poenam periculumque praesciens, si liquoribus generosis non abstineret et exercitationes vehementes non admoveret; has rationes per plurimos annos rigidè observabat, et ad hunc usque diem, nisi largitèr aquâ commistum vinum non sapit, atque pleno mentis acumine, à Podagrâ prorsùs im-

† Beddoes, Hygeia Ess. viii. p. 141.

munis, aetatem agit. Articularii quoque longo tempore morbo subjecto ita ut vitae jucunditates amisissent, dietam modicam sumendo, vinumque rejiciendo, restituti fuerunt ex summâ debilitate et miseriâ, in valetudinem adeò firmam ut vita non amplius esset vel aliis inutilis vel ipsis injucunda. Cl. Dr Beddoes septem hujusmodi casus annotat *, ubi liquoribus generosis posthabitis, Podagra cessaverat sanitasque omninò restituta fuerat. Inter alios auctores perplurima exempla quoque inveniuntur †. Officium est Medicorum vera tanti momenti patefacere. Aegris tunc est statuere, an sanitate felicitateque fruentur consuetudinem supervacuam aufe-

* Ibid. p. 135.

† Unum horum excerpere liceat.

"I once knew a gouty gentleman, who, to avoid his drinking com-
"panions in London, retired to new Brentford, where I then lived;
"in which town, by a very temperate diet of one meal a day, and
"drinking only water, he lived two whole years free from pain. But
"being visited by one who came that way, and invited to take a bottle
"of claret between them, he fell next day into a terrible fit of gout,
"which held him above a month after: of which being recovered,

rendo; vel vitam vexatam et decurtam impetu cruciantis hujus morbi degent; corporaque vitiata liberis transmittent, qui parientiûm ineptiam et intemperantiam quotidiè lugebunt.

——— "Hunc lenire dolorem
"Possis et morbi magnam deponere partem."

HOR.

FUNCTIO vix est totius corporis quae temulentiâ crebrâ non vitiatur; et haud raró sobolem potestas procreandi deperditur. IMPOTENTIA vel à musculorum resolutione, qui ad coitum

"he, by the same course, continued well till I left the place, which "was about a year and half after."

Smith. "Curiosities of Water," p. 9.

Vide Dr Harris. Anti-Empiric.

Sir Theodore Mayhern. "Medicinal Counsels."

Herman Vander Heyden. "Arthrifugium magnum."

Dr Curtis. "Preservation and Recovery of Health," &c. &c.

"Tollere nodosam nescit medicina podagram
"Ne formidatis auxiliatur aquis."

OVID.

perficiendum exigentur; vel deficiente seu vitiata * seminis secretione exoritur; ipsa etiam cupiditas nonnunquam prorsùs amittitur.

Diversitas magna cuticulariûm affectionûm usu permagno Alcoholis parientur: ex eo quoque inter mulieres Leucorrhoea et Menorrhagia pendent, frequentiùs fortè quàm plerumque existimatur †; vitiumque ferè semper Sterilitatem adducit.

Nequaquam difficile esset alios Morbos ex Ebrietate ortum ducentes numerare; quanquam tamen, de nonnullis, non tam fusè tractavi quàm volui, jam jam ad limites assuetos progressus sum, ac tempus nunc est calamum deponere.

---

* Verisimile est, viros aliquando steriles esse a *vitio* seminis, quamvis nulla organorum vitia appareant, et ipsi ad Venerem probe valeant.

Conspect. Med. Theoret. Cap. xxi. sec. 769.

† Prof. Gregory. Prael. pract. Febii. 14mo. 1806.

Cullen. Practice of Physic, Ch. vi. art. 958.

Home. Princ. Med. p. 283.

OMNIA in almâ hâc academiâ exacta ad gradum Medicinae Doctoris adipiscendum exegi. Mihi solummodò restat, ut nunc palam, quam decet, Professoribus Medicinae Facultatis gratias meas summâ cum observantiâ lubentissimè agam. Nusquam obliviscenda sunt beneficia in hâc Urbe accepta dum inter discipulos per triennium commoratus sum. Ubicumque terrarum orbis eam, famae vestrae, Viri celeberrimi, quoque erint, et quamdiù memoria mihi manebit, tamdiù et vestrûm, et Caledoniae, grato animoque laeto reminiscar.

"Da veniam scriptis quorum non gloria nobis
"Causa, sed utilitas officiumque fuit."

OVID.



E Prelo Academico.